DISSERTATIO MEDICA

DE

FEBRIBUS BILIOSIS A SABURRALIBUS DISTINGUENDIS,

QUAM, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

ANTONIUS-FRANCISCUS LATOUCHE,
Nannetenſis, apud Britones Armoricos, Liberalium Artium Magiſter, & jamdudum Medicinæ Alumnus,

Pro Baccalaureatus gradu conſequendo.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XC.

HOC TENTAMEN MEDICUM

MATRI MEÆ

DILECTISSIMÆ

IN ÆTERNUM AMORIS GRATITUDINIS ET REVERENTIÆ

D. V. C.

LATOUCHE.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in sacro Consistorio Consiliarius, Universitatis Cancellarius*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

DE FEBRIBUS

BILIOSIS A SABURRALIBUS DISTINGUENDIS.

MOS conſtans in hocce ludoviceo medico à multis jam ſæculis invaluit, placita hippocraticæ ſcholæ religiosè ſervare, dùm è cæteris Europæ ſcholis, vanis fugata hipotheſibus exulabant : & Monſpelienſis honos eſt, honos iſtius renovatæ doctrinæ.

Nondùm florebant SCHOEDERI, nondùm STOLLII, SELLII, ignorabatur tota Germanorum cohors quæ ſeſe nimis de reſtituto genuino Medicæ ſtudio jactat, cum SAUVAGESIUS noſter, noſologiæ ſuæ ſymptomatologicæ claſſi auream addiderat hyppocraticamque morborum etiologiam. Morbos ibi quiſque diviſos reperiet in phlogiſticos, pituitoſos, nervoſos, putridos tota demùm illius innititur diviſio, in cauſa illa materiali, quam Germani tam ſæpè, tam-

que reſpectu praxeos fauſtè decantant. Undè STOLLIO ipſomet, ut ut anteceſſor illius fuerit hunc nihilominùs pretioſiorem paſſim reperio.

Morbos omnes ſaburrales, ſi pituitoſos excipias, bilioſos dicit STOLLIUS; & ſaburram quamlibet bilem audit; ut ut talis ſaburræ, mucoſitates & alimentorum corruptelæ majorem partem obtineant (1). SAUVAGESIUS noſter è contrà claſſem unam bilioſorum, alteram vero ſaburralium habet. Veteres enim nimis probè callebat quam ut quæ tantum in praxi diſcrepabat theoria jungeret. Quod vero & quibus hæ inter ſe diſcrepent, nunc mea vobis exponere mens eſt.

Morbi ſaburrales ſæpius non curantur niſi materies morbifica emeticis vel purgantibus, prout ſurſum deorſumve turget eliminetur. Tartarus ſti-

---

(1) Nos crudum, plerumque amareſcentem apparatum in ventriculo, & ejus vicinia collectum *bilem* vocamus cujus ſapor plerumque amarus eſt, ſubindè acidus, & auſtero-acidus, quin & dulcis, ſed dulcedine per quam nauſeoſa. Rarius fors à vera ſic dicta bile copioſius collecta, originem trahit, & potius cruda undecumque nata colluvies eſt, quæ in convenientem ſibi corruptionem, ob languentem ventriculi facultatem, vel nimia ipſius humoris in corruptionem proclivitate, tranſmigret, ut hinc modò acida, modò auſtera appareat, prout eadem materies ſibi relicta modò hanc, modò illam mutationem, etiam extra ventriculum, ſubiiſſet. Colorem, & ſaporem amarum perſæpè à bile mutunt.

biatus panacea universalis vices, ut ità dicam, in illorum curatione gerit. Natura essentiæ morborum illorum in hoc sistitur, quod necessariam sedem in alimentario ductu agnoscant.

Morborum vero quos pura urens progignit bilis, sedes eadem gastrica necessaria non est. Neque eadèm evacuantium vel crisium alvinarum necessitas. Causus VOGELII morbus omninò biliosus, largo è naribus fluente sanguine, sudore, æquali universali urinis etiam criticis, non minus quam alvinarum egestionum ope solvitur. Veteres, nedùm febrim hanc necessario gastricam haberent illius sedem in vasis agnoscebant, sic RONDELETIUS, causus unus, inquit, fit à bile vel sanguine bilioso putrescente in magnis vasis cordis & ventriculo proximis ». HIPPOCRATES etiam causum à resorbta in venis bile fieri tradebat ». Causus, inquit, fit cum venulæ tempore æstivo exsiccatæ, acres biliosas & tenues icores ad se trahant ». Multa similia apud GALENUM & alios bene multos auctores leguntur.

Tertiana exquisita, ut de aliis morbis biliosis taceam, tertiana illa quam biliosam omnes habuerunt magistri, sudoribus notante RONDELETIO, sæpiùs quam alvinis crisibus finitur; & GALENUS, sedem causæ materialis non in primis viis sed in textu cellulari habet ». Causus, inquit, habet in venis una cum sanguine flavam bilem redundantem & ebullientem; tertiana vero eandem bilem habet per totum corpus delatam ac motam.

Jam jam vidimus biliosas duas febres quibus necessaria non est gastrica sedes, vidimus ergo biliosas à saburralibus circa essentiale quod piam differe; saburralium etenim essentiale est primas inhabitare vias.

Nobis nunc inquirendum num & cura discrepent quæ adeo natura discrepant.

Hoc in curandis saburralibus præcipuum est, ut dicebamus supra, quod sursum deorsumve, vel utrinque, pro turgescentia evacuetur materialis causa morbi; febres vero à pura bile tenuique; causus scilicet, tertiana continua veterum, & tertiana exquisita, evacuantia penitus respuunt, vel non nisi decrescente morbo recipiunt.

Tertiana exquisita, seu legitima veterum, morbus eximiè biliosus, juvenes calidos & siccos intemperatum jecur habentes sub æstate fervida squallida, prægressis victu aromatico, medicamentis calefacientibus, ira, labore nimio &c. invadens; in quo calor multus acer & mordax, sitis crucians, vigiliæ & alia morborum biliosorum signa; tertiana illa inquam, his præsertim apud veteres galenistas & arabes curatam reperies evacuantibus, quæ per sudores & urinas purgant. Si vero quid catarticis emeticisve moliendum veniat, jam, (ut nos monet Hollerius) tertiana pro exquisita habenda non erit, sed ad illas referetur quas nothas veteres, nos vero bilioso pituitosas habemus.

Causus vero & tertiana continua seu biliosa Vogelii evacuantia initio abhorrent phlogoses in-

testinales adductura. Primaria tunc medela in frigidæ potu reponitur. Quod inter neotericos multum prædicant BURSERIUS & VOGELIUS. Et inter veteres TRALLIANUS » veris febribus ardentibus exquisitis-» que, cum à flavâ excitentur bile aquæ frigida potio » magis convenit, aliaque omnia quæ refrigerare » etiam extrinsecus facultate & actu possunt ».

Quo magis febres saburrales ad hanc biliosarum exquisitarum indolem accedunt, eo majori cum cautela purgantia propinanda sunt. Sic in nosocomico Monspeliense sub æstate fervida vomitoria non præscribit Medicus nisi materies triduano acetositatis citri potu mitificata fuerit.

Sic TISSOTUS & FINKIUS suis febribus dum purior bilis aderat (qui status à TISSOTO dicitur *cruditas supra evacuationem* à FINKIO vero, *genus secundum* in quo peccat alvus cita) primam suam habent indicationem in turgescente tenuique biliosa materia sopienda blandisque lenienda medicaminibus; diarrheas vero vemitionesquas sistunt, donec coctam habeant materiem. » Pluries, inquit, TISSOTUS morbidos humores adeo mobiles & acres deprehendimus, ut sacrum sit evacuatia adhibere, ne vel levissimo addito stimulo, effrenes, hinc indè summo impetu vagantes, brevissime irreparabilia damna inducant ».

Sic VOGELIUS, in biliosa sua febre, medicum in curatione magis ad vomitum & diarrhæam compescendam respicere vult.

In febribus vere faburralibus, quas mucus quidam & alimentorum corruptelæ commixtæ bili caufantur, fæpiùs juvat teftante STOLLIO, fub primo infultu vomere ægrum ». De præparanda ante vomitum
» materia id dico, nos plerumque abfque præ greffis
» folventibus emeticum dediffe; materies plerumque
» ex integro mobilis fit aut, fi quædam folum modô
» materiæ portio folutæ reliqua vero tenax &
» glutinofa fuerit, id faltem obtinebamus, ut,
» quod mobile fuerat, ejiceretur reliquiæ vero ipfa
» vomendi actione, vi medicamenti attenuante fol-
» venteque aptæ redderentur, quo repetita denuo vo-
» mitione vacuari quieverint ». Quantum biliofæ propriæ dictæ à faburralibus in cura fua differant hoc è fequentibus HIPPOCRATIS & GALENI locis maximè elucefcet. Pater Cous fectione tertia popularium tertii conftitutionem temporis biliofam defcribit fqualloribus fuccedentem. In illa alvus biliofa, pinguis, tenuis, aquofa, tormina cum doloribus; quæ exhibant dolores non folvebant; & nedum juvarent evacuantia, purgationes multos offendebant ». Et in fumma, inquit, omnes, & qui longis morbis ægrotabant, & qui ex acutis, maximé ex his quæ per alvum fefedebant mortui funt. Omnes enim alvus fuftulit.

FINIS.